DE HYDRORHACHIA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN…

Luigi Piotto



20

DE

HYDRORHACHIA

Dissertatio Inauguralis

QUAM

IN CELEBERRIMA AC PERVETUSTA UNIVERSITATE PATAVINA

AD SUMMOS HONORES IN MEDICINA

RITE OBTINENDOS

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

ALOYSIUS PIOTTO

PATAVINUS

PATAVII

EX TYP. ANGELI SICCA

1841

A MIO PADRE
CHE DUE VITE MI DIEDE
A MIO FRATELLO
DOTTORE IN SACRA TEOLOGIA
E PROFESSORE DI STORIA ECCLESIASTICA
NELL'I. R. UNIVERSITÀ DI PADOVA
OGGI
CHE L'ALLORO MI CIRCONDA LA FRONTE
QUESTE POCHE PAGINE
CON AMOROSA EFFUSIONE D'ANIMO
CONSACRO

412



DE HYDRORHACHIA

Cum anno elapso ex Clinica Medica de morbis occulte criticis, et praesertim de hydropicis affectionibus pertractari audivissem, mihi in animo est aliquid depromere de Hydrorhachia. Hic morbus est rarissimus, et agnitu difficilis. Quapropter mirum erit fortasse plerisque, quod vix modo Medicinae curriculum emensus, arduum plane aggrediar argumentum. Hisce responsum confestim do: arduum esse opus, fateor; sed sciat unusquisque, me minime magna novaque proferre velle, ex quibus legentium curiositas acuatur, sed omnem meam operam collocare, ut in hac dissertatiuncula et quae ex cathedra percepi, et quae typis mandata fuere ex viris celeberrimis, praecipue Raimann, P. Frank, Toggia, Camper, Olvier, Otto, Meckel, Richter, aliisque, breviter adumbrata inveniantur. His vero perpensis, antequam sermonem suscipiam, animi vestri humanitatem imploro, Professores doctissimi; illam humanitatem, quam in perdifficili Medicinae studio peracto expertus sum, et quae tantae mihi in die laetitiae, vitae meae jucundissima, nunquam defutura erit.

Hydrorhachia, a ὕδωρ, *aqua*, et a ῥαχις, *spina*, *rachide*, est collectio fluidi modo serosi, plus minusve

gelatinosi, modo etiam lymphatici et mucosi in specu vertebrarum. Hic morbus diversis in locis oriri solet.

I. Serum secernitur inter periostium et duram meningem, quod ab auctoribus rarius evenire observatum fuit.

II. Inter duram et piam meningem, vel rectius inter duas laminas aracnoideae, quod frequentius occurrit; nam ibi est locus, ubi major efficitur secretio supradicti humoris.

III. In fovea insculpta in medio lineae medullae spinalis, juxta relata Otto, Brunner, Portal, Meckel.

IV. Tandem Leckel serum collectum in quadam cystide extra duram matrem vidisse affirmat.

Haec duplex est: scilicet, juxta Raimann, connata ot adquisita; juxta P. Frank, dehiscens et incolumis. Prima conjuncta est cum imperfecte vertebrarum singularum ossificatione, et ejusdem ac immediate morbi velamenti externi seu duri medullao spinalis effectum sistit. Haec vocatur *spina bifida* (sic Raimann). Paucis in casibus, in quibus haec deformatio in hominibus adultis observatur, ab alteratione secundaria ontritionis columnae vertebralis, atque absorptionis vasorum ejusdem columnae originem quaerere debemus.

Spina bifida in scriptis Tulpii primitus consignata conspicitur; etiam nomine *tumoris lumbaris*, quia ipsa conjungitur fere semper cum tumore, qui, sicut in posterum dicturi sumus, residet in regione lumbari. Beclard tandem *aterorachidiam* vocandam esse censebat.

Ad diagnosim instituendam, praeter dicta in connata, sequentia notatu digna nobis observanda sunt: tumor mollis, pastosus, fluctuans, persaepe ruber aut li-

vidus, deinde pallidus et fere cuti concolor, temperaturae imminutae, qui sub pressione digiti cedit, et rursum pristinam acquirit formam. Pressio momentanea tumoris non doloris signa, sed continuata convulsiones et paralyses excitat. Hic ad lumbos praecipue, rarius in regione cervicali et dorsali sedem figit.

Volumen istius tumoris differt juxta rationem celeritatis, qua morbosa in cavo vertebrali secretio enascitur; rationem altitudinis aquae, quae ossicula vertebralia inferiora premit; rationem resistentiae vertebrarum fessarum; et denique rationem temporis, quo morbus ortum duxit. Quapropter positio verticalis aegri auget praecipue illos tumores, qui in regione lombari positi sunt. Sic ex clamoribus, tussi, sternutationibus, conatu alvum deponendi tumor protruditur, ac tenditur magis. Formam nunc praesefert nucis avellanae; nunc observatur levis solum eminentia cutis, quae est transparens, et medico quemdam fluctuationis sensum praebet; nunc magnitudinem acquirit capitis infantilis; et tandem pro base tenet leve petiolum, quod nonnulli chirurgi inexperti, excrescentiam putantes, magno cum aegri detrimento abscindere haud cunctati sunt. Isti tumores persaepe communicant inter se. Ad hoc confirmandum nobis juvat hic loci verba Camper referre. Se similes, ille dixit, duas diversas columnae vertebralis regiones occupare vidisse, et inter se communicasse ita, ut pressionem peragendo super unum, alter volumine augeretur. Formantur aut ex cute, quae juxta varios individuos crassa, tenuissima, partim vel ex toto exulcerata invenitur, in gangraenam evadere tendens, fungis plena, et saepe pilis obducta.

Cum cutis non existit, tunc meninges non solum tumores constituunt, verum etiam aut in statu normali, aut rubrae, sanguine plenae, densatae inveniuntur. Observatae fuere a plurimis auctoribus tam tenues et transparentes, ut absque dubio intre exiguum tempus frangi deberent. Hoc asserit et celeberrimus P. Frank cum dicat: franguntur haec tegumenta frequentius partus tempore, aut post hunc, aut serius propter aliquem conatum, decubitum neonati supinum, aut rudem, durumque tactum.

Investigandae nobis remanent aliquae leges physicae, ut diagnosis magis certa reddatur; nempe quod humor in specu vertebrarum contentus centrum gravitatis petit, et prius inferiorem medullae spinalis partem occupat. Hinc symptomata pressionis super portionem inferiorem ejusdem medullae medico observanti palam occurrunt, et sensim sensimque crescente et consurgente supradicto humore, alia phaenomena in reliqua columna vertebrali conspiciuntur.

His praemissis, habemus in primis paraplegiam perfectam, aut imperfectam, anestesiam, motum muscularem plus minusve imminutum; postea paresis, et ipsa quandoque paralysis extremitatum inferiorum, vesicae et ani, cum involuntariis faecum evacuationibus in scenam venit; initio alvi obstipatio, deinde alvus diarrhoica, quandoque dysuria, quandoque stranguria, et dein enuresis, membri virilis paralysis, unde frigiditas ad coitum.

Deinde constrictiones ad diaphragma, ad nervum intercostalem, cordis palpitatio, dyspnoea, tussis etc. prostant.

Tandem difficultas deglutiendi, impeditus motus brachiorum, et dein etiam symptomata quaedam cephalica.

Haec, quae diximus, cum myelitide lenta conjuncta, cum congestione sanguinea, emollitione, induratione confundi possunt. Solum discrimen in eo consistit, ut in hydrorhachia phaenomena enarrata magis gradatim adpareant.

Signa probabiliora sunt sequentia: nempe: sensus frigoris in columna vertebrali haud confundendus cum illo, quem hypochondriaci et pueri persentiunt, nam ipsi omnes cujuscumque generis molestias persipere credunt.

Tumor persaepe oedematosus residet illo in loco, ubi collectio adest: animodvertendum tamen est, quod non semper initio invenitur, sed in morbi progressu plaries sese manifestat.

Urinae parce minctae sient signum magis certum hoc in morbo ab auctoribus tenentur; sed, in hac diagnosi instituenda, recensenda sunt omnia et generalia et specialia, quia valde, sicut diximus, difficile est illam persolvere, unum tantum symptomatum seriem computando.

Admodum ardua et incerta hydrorhachiae diagnosis ea aetate, qua vertebrarum formatio et ossificatio jam est perfecta. Nihilominus, excepto tumore, in hydrorhachia incolumi adjuvant jam supra enumerata. Si idcirco parum luminis afferunt violentia externa super columnam vertebralem, inflammatio medullae aut cerebri praegressa, refrigeratio totius corporis calidi repentina, continua atque atrox cephalaea, morbi so-

porosi, idem hydrocephalum prius habitum, diathesis individui scrophulosa, arthritica, syphilitica, nil certi de praesentis istius morbi medicus, quamvis summa experientia edoctus sit, concludere potest.

Ætiologia et Nosogenia.

Relate ad genesim istius morbi dici potest cum immortali P. Frank, quod aperta proprie est morbus, quem foetus in utero materno recipit, at igitur nil de origine proferendum est. De incolumi, nisi subito nobis concessum sit caussam proximam perspicere, scilicet contusionem externam super columnam vertebralem, inquirenda est genesis in dispositione individuali. Constitutio igitur et temperamentum lymphaticum, in obesitatem tendens, pastosum, laxum, leucophlegmaticum; infantilis aetas; diathesis arthritica, syphilitica, scrophulosa; morbi exanthematici retropressi; scarlatina, variola, morbilli, impetigines, ut scabies, herpetes; et profluvia suppressa, saepissime ansam praebent ad hoc morbum gignendum.

Vitae genus quoque valdopere contribuit. Qui fercula pinguedinosa et nimia quantitate edunt, vitam otiosam et inertem agunt, potubus spirituosis indulgent, ventris nimia constrictione utuntur, atmosphaeram humidam paludosam incolunt, habitacula angusta et depressa tenent, morbis chronicis, venere exhausti, tabi imprimis venereae et iteratis gonorrhoeis multum obnoxii, magis quam alii individui ab hocce morbo corripiuntur. Insuper animi adfectus, pathemata deprimentia, abusus remediorum debilitantium praecipue sanguinem, relaxantium, salinorum in primis,

nec non narcoticorum, viscerum abdominalium infarctus, quartanae, quam maxime evolutioni hydrorhachiae favent.

Circa naturam internam et causam proximam, ex enarratis causis tam disponentibus, quam occasionalibus, nobis patet, quod inflammatio medullae spinalis hydrorhachiam producens non sit unicus fons, sicut nonnulli auctores enixe defendunt. Nobis videtur potius cum celeberrimo Raimanno causam proximam invenire in disproportione inter secretionem et absorptionem, qua vel nimia humorum seroso-mucosorum lymphaticorum in cavo vertebrarum secretio excedit, vel resorptio languet, aut deficit, una cum peccante sanguificatione, et praevalente quantitate humorum serosorum. Et revera per victum nimis lautum, potus spirituosos, suppressas sanguinis aliorumque humorum evacuationes, et propter dispositionem individualem nobis adhuc ignotam ex utero materno receptam augetur circulatio; hinc aortae actione aucta, systema vasculare ei proximum turbatur, illud quoque sub eandem relationem cadens. Si huic impulsui in vicinis organis exercito, reactio non erit normalis, aortae actio in aliam praevalebit, major ergo sanguinis fluxus thecam osseam jam dispositam occupabit, impetusque ejus medullae spinalis integritatem minabitur, statum irritativum inferens, talique ratione originem ducet hydrorhachia acuta.

Dum e contrario si debilitas universalis, aliqua dyscrasia, cibi penuria et qualitas prava; systema lymphaticorum ex tubo intestinali non tantum minorem copiam chyli, sed et vitiose paratum requirens, impotens

quoque evadit systemati sanguineo tum qualitative, tum quantitative rectam mixtionem ex chylo et lympha per ductum thoracicum adducendi, quam istud ad corporis restaurationem requirit. Per hunc processum morbosum sanguis multum minori copia paratur; sed et gravem mutationem quoad qualitatem patitur, fit magis aquosus, et hoc modo facile colligitur in illa cavitate jam disposita, sicut, in nostro casu, in cavo vertebrarum, et in scenam venit hydrorhachia chronica. Possumus insuper comprobare istum morbum ex compressione alicujus tumoris, et colliquatione humorum, et rhexi vasorum lymphaticorum oriri: sed hoc lectori magis instructo relinquemus: sat est nobis solum duplicem hydrorhachiae originem retulisse.

Cadaverum Autopsia.

Sectio cadaverica illorum, quibus iste morbus attulit mortem, nobis prae oculis fert: unam apophysim, aut plures, propter cariem deficere; alias plures vertebras deesso; aliquando ipsas varia ratione a normali conditione flecti ita, ut aliquam scissuram constituere valeant. Tandem solum corpus illarum integrum inveniri; de reliquo omnes alias partes extenuatas aut degeneratas esse.

Meninges crassatae propter lympham plasticam, si hydrorhachia est acuta; si vero chronica, opacae conspiciuntur. Liquor contentus est limpidus, leviter turbidus, aut floccosus, sanguinolentus, purulentus. Ex analysi chemica reperta est magna serositatis copia, sicut in hydrocephalo; et constanter minor, quam in aliis hydropicis morbis, albuminis quantitas.

Quantitas seri ex paucis unciis ad sex septemve libras ascendere potest; medulla aut sana, aut mutata invenitur: secundum Meckel, rare sana conspicitur. Quapropter mutationes a normali statu observandae sunt relate ad situationem, structuram, et deficientiam ipsius medullae completam.

Quoad primam, saepius medulla ex cavo vertebrarum protruditur, et inter interiora tumoris protrahitur: hoc comprobatum fuit praecipue in regione lumbari. Nervi sunt deflexi a propria directione, cauda equioa omnino ex tumori lombari circumdata, nervi illam componentes invicem divisi, inter serositatem natantes, et ipsi tumori intus applicitì.

Innumerae sunt deformitates quoad structuram, quia persaepe valde proprio imminuta volumine reperitur, mollitie morbosa laborans, aut in subrubram paltem conversa instar bovini sanguinis, vesiculis bydatideis circum undique septa, ex toto suis adhaess involucris.

Nonnulli tandem nullum medullae vestigium invenisse defendunt. Meckel e contrario eam vel quocumque organisationis signo carentem, aut nunquam extitisse arbitratur.

Prognosis.

Hydrorbachia tam aperta quam adquisita ad incurabiles pertinet morbos. Et re quidem vera incolumis radicitus sanari potest, si medico curam initio morbi convenientem suscipere datum est; sed difficultas summa in eo sita est, ut illam agnoscere valeat: nam usquedum medicus de hydrorhachiae praesentia cer-

tior reddatur, morbus sensim sensimque eo usque pervenit, ut jam vitae flamma extincta sit.

Aperta vero, etiamsi facilius quam alia distinguatur propter tumorem, tamen ab omnibus fere auctoribus pro certo habetur ceu quae nullam radicalem in promptu habeat curam, quamvis Camper aliique se hunc morbum tricuspide tumorem aperientes absque ullo periculo sanasse contendant. Nostra opinio e contrario in hoc maxime inclinat, ut solum cura palliativa dari possit; et hoc modo individui ab hoc marbo vexati regimine vitae et circumspectione gradatim cutem densantes etiam per plures annos tantae extensioni resistere valeant, usque dum ex aliquo conatu urinas vel faeces emittendi, et tussi continua, vel ex praegressa inflammatione erysipelatosa, corroso tumore, aut in gangraenam facto, exeat omnis humor contentus, et miseri aegrotantes extremum diem exhalent inter vomitum, deliria et convulsiones.

Cura.

Haec, sicut ex prognosi patet, haud datur radicalis, sed palliativa ad minus vel ad majus temporis intervallum. Sed cum mihi quamdam curae methodum proponere commissum sit juxta leges quas percepi, et mentionem facere de praecipuis auxiliis usque ad diem praesentem adhibitis, sequentes regulas mihi observare opus est.

I. Removere momenta excitantia. In causis ergo occasionalibus amovendis ad diversitatem indolis earum, ad actionis durationem, sedulo attendendum est. Si v. g. subprimantur evacuationes normales, morbo-

sae, criticae, uti sanguinis, sudoris, puris: impetigines, uti scabies, herpetes, juxta indicationes jam omnibus notas restituantur oportet; sic potuum spirituosorum, remediorum debilitantium, solventium, evacuantium, narcoticorum abusus illico sistatur (sic Raimann).

II. Morbum primarium seu topicum, seu universalem tollere. Idcirco cura, ut morbus infringatur, instituenda est vel topica, vel generalis. Haec contra affectionem hydrorhachiam producentem, illa contra morbi effectus. Quapropter si hydrorhachia est acuta, indicatio est irritationem tollere, et omnem praepedire ulteriorem accumulationem. His votis respondet methodus leniter antiphlogystica, dispnoica, derivans, diuresim, et alvum movens. Ante omnia commendantur potus nitrati, cremor tart., acida vegetabilia et mineralia, decocta ononidis spinosae, polygalae, senegae; insuper multum prosunt baccae juniperi, roob ebuli, scilla, digitalis purpurea, colchicum, terebinthina, et caetera balsama nativa, jalapa cum calomele, gummi gutta, scammonea, gratiola, belleborus omni tertio, quinta, septimo die diureticis interposita.

Si vero chronica, confugiendum est ad remedia, quae digestionis languori, assimilationi languenti vim roborantem tribuunt, et quae vitam vasorum lymphaticorum inertem sollicitent, et eorum functionem impellant. Hinc recensentur praeparata rhei, fel tauri, rad. gentianae, columbo, cort. quassiae nupta aromaticis, uti calamo aromatico, cortici cinnamomi, nuci moscatae, baccis lauri, cort. aurantiorum, et similibus. Optime in posterum agunt decoctum quercus roboris, infusum vel decoctum rad. cariophyllatae, chinae. Tan-

dem praeparata ferri, et praesertim tinctura martis pomata, vinum, limatura, et sulphas ejusdem metalli.

Localis cura contra productum hydrorhachiae dirigitur, scilicet humores collecti per varia colatoria organismi, aut pro re nata, per artem chirurgicam educuntur.

Qua de causa in incolumi aperta maneant colatoria communia, scilicet transpiratio, secretio urinarum, salivatio, alvus, etc. In aperta nisi aliquid utilitatis ex hac methodo obtineatur, confugiendum est ad humores illico evacuandos. Nonnulla tentamina igitur hic loci recensenda sunt.

Alii deligationem tumoris, cum pro basi constrictum petiolum adest, commendant; sed semper gravissima mala insurgunt, scilicet convulsiones, et mors illo tempore quo operatio perficitur, quia nervi persaepe inveniuntur, et ipsa medulla spinalis compressa; aliquando accidit mors tum, cum fibulatio simul cum tumore persciudatur.

Alii tumoris evacuationem ope acus acuam sensimque instituntam satagebant; sed tumor non impune laeditur, et non sine aegri detrimento: nam vel laeditur ipsa medulla, vel minima nervorum filamenta, vel insurgit inflammatio non adhaesiva, sed lethalis.

Desault et Mathey setaceo tumorem circumdare proponebant; sed irritum fuit, ut facile videtur. Eundem effectum obtinuere proposita Richter, qui setaceum et vesicatorium circa tumores applicare arbitrabatur. Tandem compressio tumoris a plurimis proposita fuit. Haec peragitur linteaminibus liquore spirituoso madefactis, quadruplicatis, et gradatim fascia

adstrictis: cavendum est, ne medulla spinalis, vel nervi caudae equinae comprimantur. Ipsi tali adhibita methodo aegrotantem morti proximum ad sanitatem se restituisse affirmarunt.

Quamvis persuaderi haud valeam hanc methodum radicitus aegrum sanasse, usque dum ulteriores experientiae hoc clarius non comprobent; tamen quisque affirmare potest medicinam simpliciorem, mitiorem, et valde rationi consentaneam, tutioremque esse: unde saltem tali sub cura, ut supra diximus, sperandum foret, ut vita aegri miserrima per plures annos procrastinari posset.

Haec sunt, quae brevi calamo exaravi. Si vero in hac mea, quaecumque est, dissertatione inaugurali vel fusius, quam par erat, nonnulla pertexi; si plura alia, quae dicenda fuissent, silentio e contra praeterii; te, lector benevole, eo minus severum Catonem esse rogo, cum mihi temporis angustia, aetas nondum matura, nondum experientiae subsidiis edocta, hoc melius explanare vetuerint.



THESES DEFENDENDAE

I.

In hydrorhachis adhuc decidendum est an serositas, quae invenitur in cavo vertebrarum, ante vel post mortem collecta sit.

II.

In cura hydrorhachiae setacei usus prohibendus est.

III.

Hydrops per phlebotomiam modo sanatur, modo augetur.

IV.

Hydropum tot origines quot morbi.

V.

Chlorosim saepius hymen vincit, saepe causat.

VI.

Antrakokali antiherpetica virtute pollet.

VII.

Majoris utilitatis est medicus haematophobus, quam haematophilus.

VIII.

Moschus orientalis in febri typhoidea laudandus.

IX.

Vestimenta lipomatum causa.

X.

Medicus deberet esse encyclopedicus.

XI.

Absentia hymenis minime signum defloratae puellae.

XII.

Arthritia morbus virorum senescentium.

XIII.

Arthritis simul cum scrophula fere evolvitur.

XIV.

Qui fistula tabacum haurit continuo salivam ejiciendo, pancreatiti obnoxius evadit (de Hildenbrand).

XV.

Depressio cataractae caeteris methodis praeferenda.

XVI.

Medicus topographiam perbene agnoscere debet.

XVII.

Metro-tuberculosis minime rara, uti aliqui enixe defendunt.

XVIII.

Miuime morbus, ubi est dolor, quaerendus.

XIX.

Crisis tromophreneseos bibonum est somnus.

XX.

Nostalgia hominibus atque brutis communis.

